

## NUMMVS CASTRENSIS

## HENRICI IV. GALLIARUM REGIS:

cusus bello Hispaniarum Regi indicto:

Anno Christi 1595.



Ex Gallia & Navarra Henricus (cujus paulò prius facta mentio) videns se Hispanum expellere non posse Gallia: proprias autem provincias magis quotidie bello vastare, de militiâ e regno suo in Regis Philippi ditiones transferendo, belloque Artellæ, Hannonia, & agro Lutzenburgico inferendo, cogitabat, quò hæc ratione hostem regno cedere, & suis auxiliari cogeret. Communicato igitur cum Holandis & confederatis sociis consilio, placuit, utrinque certas quasdam copias eo mittere: quibus Bullionius Marefcallus Regni cum Imperio præfesset. Cæterum, ne contra jura publica agere videretur, bellum adversus Hispanos terrâ marique apertum denuntiare, & in finibus omnium provinciarum, ad tubæ sonitum, exclamare jussit; in eunte Januario. Rex Philippus hæc percipiens, ad 17. Martij simile edictum scribi, & Bruxellis publicari jussit: bellum & omnem hostilitatem Gallis denunciâns. Rex Galliarum, nullâ interpositâ morâ, Bullionæum Vicecomitem Turonium cum exercitu in Ducatum Lutzenburgensem mittit: qui, sociatis sibi Philippi Nassovij armis, Juodium Oppidum parvo negotio occupat: nonnulla alia etiam loca, ut Montmedium, Virtonium, & La Frette, quia munita non erant, diripit. Nassovius per eos dies in quatuor centurias equitum Regis Hispaniarum incidens, infeliciter cum illis conflixit; & non paucis è suis desideratis, ipse vulnere accepto cum cæteris elapsus est: cum propter aquarum inundationem Bullionæus ei succurrere non posset. Qui tamen, cum postridie alias aliquot equitum alas sibi obvias haberet, cum iis ræanum conferens, damnum acceptum resarcivit.

*In Nummo quodnam Duellum? Struthio camelî cum Accipitre: addito lemma, PRO*